



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini**

**Zyllesius, Nicolaus**

**Treveris, 1638**

18. Ottonis III. Imp. Dat. Francofurti, Anno DCCCCXC.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14268**

collaturi sunt. Si quis autem (quod absit) nefario ausu præsumpserit, ea, quæ ad utilitatem iam dicti venerabili Monasterij statuta sunt, infringere, aut in quocumque violare, sciat se ex autoritate omnipotentis Dei per interuentum B. Petri Apostolorum Principis, cuius vice fungimur, & nostræ autoritatis Apostolicæ constitutionem, & assensum omnium comprouincialium, & Suffraganeorum Episcoporum anathematis vinculo inextricabiliter innodatum. Scriptum per manum Theophili Latini Notarij & Regionarij atque Scriniarij S. R. E. In mense Ianuario, Indictione XV. Bene Valete. Data VII. Idus Ianuarij, per manum Ioannis Episcopi, & Bibliothecarij S. Apostolicæ sedis, Anno Deo propitio Pontificatus Domini Ioannis, Summi Pontificis & vniuersalis PP. XV. In sacratio Ecclesiæ S. Petri Apostoli.

18.

*Ottonis III. Imperatoris Datum Francofurti, Anno  
DCCCCXC.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuinâ fauente clementiâ Rex. Quoniam omnium Regum Imperia consistunt in diuinæ manus potentia, misericordissima Dei ea gubernari miseratione credimus, si dignis seruatorum Dei religionibus aures pietatis accommodamus. Vnde nouerit omnium industria fidelium, tam præsentium quam & futurorum, qualiter Venerabilis Abbas Wolemarus Cænobij Sancti Maximini, regulari secundum regulam S. Benedicti religione insigniti, quod constructum in suburbio Treuirorum in honore S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, prædictus Christi Pontifex insignis corpore, adierit clementiam nostræ Regalitati, Willigisi Sanctæ Mogunciensis Ecclesiæ Archiepiscopi, nec non & Ottonis Comitis fultus præsidio interuentiois, quatenus nostri priuilegij decreto iuxta morem prædecessorum nostrorum Regum vel Imperatorum, prædicto Cænobio tranquillitatem iuxta quod illius religio exposcit concederemus. Igitur amore religionis accensus, quo in eodem loco absque ullius impedimenti serupulo seruetur finetenus iuxta propriæ deliberationis arbitrium, fideliumque nostrorum petitionem & consilium priuilegia Antecessorum nostrorum Regum vel Imperatorum, Dagoberti videlicet, Pippini, Magni Caroli, Ludouici Pij, Successorumque eorum, Aui etiam nostri Ottonis, Patriisque nostri æquo Ottonis diuorum videlicet Augustorum, nostræ autoritatis decreto corroboramus, Et vt beneuola nostrorum Antecessorum pietas non à nobis neglecta debilitetur, Et Monachorum inibi Deo sub Regula S. Benedicti seruentium tranquillitas ab aliqua subintroducenda persona non inquietetur, decernentes vt hoc idem Cænobium, vbi prænominatus Pontifex requiescit Maximinus, cui præesse videtur prædictus Venerabilis Abbas Wolemarus, sicut & Antecessorum nostrorum sic sub nostro quoque Successorum nostrorum iure, Mundiburdio & defensione consistat, nec alicui sedi aut Ecclesiæ, excepto nostræ Regalitati, successorumque nostrorum, famulum aut appendix vel beneficiarium subiaceat, Concedimus etiam iisdem Monachis liberum inter se eligendi Abbatem arbitrium, vt eo securius ab eis diuinum impleatur officium, summæque propèsius Maiestatis pro nobis implorent auxilium. Insuper etiam concedimus, vt idem Abbas, sibiq; cõmissa cõgregatio, eorūque successores potestatem habeant Aduocatas Monasterij sui, cui velint dadi, cuique velint tollendi. Aduocati quoque cõstituti in villis eorū, nec nõ

Dd 2

homi-

hominibus illius loci, qui vocantur scararii, nisi presentia Abbatis, vel eius prepositi placitum habere presumat, bannumque in placito cum scarariis hominibus habito non Aduocatus, sed Abbas accipiat, aliaque familia Abbati subiecta, placitum nullius nisi Abbatis, vel ab eo constitutorum attendat. Bannum & fredum nulli nisi Abbati persoluat. Et nulla cuiuslibet iudicariæ dignitatis persona in curtibus eorum placitum teneat, Teloneum à nauibus nullus exigat, & in singulis Ciuitatibus regalibus, vel prefectoriis liberam potestatem habeant intrandi & exeundi, vendendi & emendi, pascendi & adaquandi. Eique opera Imperialia vel Comititalia funditus perdonamus. Et vt hoc nostræ autoritatis preceptum stabile & inconuulsus permaneat, priuilegium hoc conscribi, & annuli nostri impressione signari iussimus, quod propria manu subtus firmauimus.

Signum Domini Ottonis gloriosissimi Regis. Hil debaldus Episcopus & Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognoui. Data XVI. Kalend. Iulii. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXC. Indictione III. Anno autem III. Ottonis Regnantis VII. Actum Franconouert feliciter. Amen.



19.

*Henrici II. siue Sancti Imperatoris Datum Aquisgrani  
Anno MV.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuinâ fauente clementiâ Rex. Quoniam Regalis Antecessorum nostrorum prouidentia, & sollicitudo in construendis, constructisque stabiliendis Dei Ecclesiis piè iugiter inuigilauit. Idecirco benignissimâ Christi miseratione, in cuius manu Regum corda & Iura consistunt, regni illorum diuturnitas pacificata viguit & effloruit. Vnde nos piè, salubriterque de nostri statu regni tractantes deuorantibus illorum sollicitudinem imitari cupientes, priuilegia Antecessorum, Regum siue Imperatorum Cænobio S. Maximini, qui in suburbio Treuironum requiescit,

con-